

DE
PULCHRITUDINE ORA-
TIONIS
DISSERTATIONEM,

quam

Pereximius & Nobilissimus Juuenis,

**GOTTLOB GABRIEL
REICH,**

Neustad. Misn.

à se conscriptam,

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

d. xxx, Mart. h. VIII. 1791. An. clō 1791.

defensurus,

Gymnasioque, cum Academia commutando,

gratum animum testaturus est,

Gymnasii

**PATRONIS, FAUTORIBUS,
AMICIS,**

commendat,

de

Principiis demonstrandi artem Oratoriam

præfatus,

Gottfried Polycarpus Müller.

Gymn. Zittau. Direct.

Lit. Lat.
rec. B.

60, 36.

ZITTAVIÆ, Stanno Michaelis Hartmanni,

VII 29



Ultra apud ueteres Græcos Latinosque de arte oratoria, quam Cicero eloquentiam artificiosam & Græcorum more rhetorice, dixit, (*Cic. de Inuent. c. V.*) ars uel scientia uera & iusta sit, an facultas exercitatione modo conquisita & contracta, extitit contentio. Antonio, cum Crasso apud eundem Ciceronem (*Cic. de Oratore L. II. 30*) disputanti, orationis artificii pulcherrimo, causarumque patrono nobilissimo, extenuationis forsan & modestiæ gratia hanc tribuit uocem Cicero: *res mihi uidetur esse (eloquentia artificiosa) facultate præclara, arte mediocris.* Ars enim earum rerum est, quæ sciuntur: oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Inde plurimorum interpretum, cum hæc serio & uere dicta crederent, opinio manauit, rhetorice ne quidem artem ab Antonio habitam fuisse: & Quintilianus in eo multus & prolixus est, ut Græcorum Romanorumque quorundam, inter quos Antonium numerat, refellat opinionem, quæ rhetoricæ artis & scientiæ dignitatem negauerant. (*Quintil. inst. Orat. L. II. c. XVII.*) E contrario aliis oratoria, uera scilicet & rationi consentanea, tota philologica, loquendique & scribendi ars & scientia perfectissima, uisa est: in qua sententia Aristotelem, Demetrium Phalæreum, Hermogenem, Dionysium Halicarnassensem, ipsumque Ciceronem fuisse, ex scriptis eorum perspicue satis cognoscitur. Platonem, qui in *Phædro*, *Gorgia*, *Hippia*, *Protagora* & *Euthydemo*, dialogis sapientissimis iuxta & elegantissimis,

mis,

mis, uirtutem eloquentiæ, & sophisticam illius ætatis oratori-
 am, grauitèr commendat & redarguit, ad eos mihi uideor
 reducere posse, qui ueram oratoriam philoso-
 phiæ partem, & scientiam certis principiis conclusam, habuerunt. Unde
 in *Phædro* de uera dicendi arte tam multa tradit, & demum
 Socratis personam indutus ita colligit: *πάρετε δὴ θρέμματα γεν-
 ναῖα· καλλίπαιδά τε Φαῖδρον πείθετε, ἕως ἂν μὴ ἰκανῶς φιλοσοφήσῃ, ἔδὲ ἰκανὸς
 ποτὲ λέγειν ἔσαι περὶ ἑδενός.* (*Plat. Phædr. p. 350 g.*) *Adeste animalia
 nobiliora* (homines ratione præditi) *ἔσπερσuaдете Phædro, ex
 optimis iuuenibus uni, nisi probe philosophetur, nunquam eum
 de quauis re probe dicturum esse.* Omnes quoque, qui ex
 schola Platonis prodierunt, omni ætate ad artes philosophiæ
 oratoriam retulerunt, certisque innixam principiis, ex quibus
 canones cum ratione formentur, crediderunt. Nec audien-
 dus est *Johannes Clericus*, in artem oratoriam iniquior, ex
 eo, quod Rhetores in disciplina sua *πειθαρόν* tantum spectau-
 erint, rhetoricam quidquis approbandi quibusuis exercitatio-
 nem esse, uel antiquis omnibus fuisse, male conficiens. (*Joh.
 Cler. Ars Crit. Vol. I, P. II. S. I. c. 17.*) Aberrat à mente & in-
 telligentia ueterum, dum dialecticam & rhetoricam quiduis
 oppugnandi aut defendendi artem fuisse putat: quod Ari-
 stoteles utramq; esse *τῶν ἐναντίων* fatetur, & utramque circa pro-
 babile uersari, quod uero opponat. (*ib. §. 5. 6. 7.*) *Contraria
 enim & probabilia* Aristoteli sunt ea, quæ certa & perfecta
 ratione, siue demonstratione perfecta, confici non possunt:
uera autem demonstratiua & infallibilia habet: hæc ipsa
 autem persuasionem non habent opus, cum illa sine persuasi-
 one uix admittantur. Ex quo ars rhetorica in scholas no-

stras recepta fuit, & post nouam in ecclesia & republica literaria lucem, Lutheri beneficio introductam, in academiis quoque illustrior effulsit; inuenti non pauci fuerunt, qui eam, ex Græcorum disciplina maximam partem efformatam, austeram redderent, difficilem, à uita nostra remotam & superciliosam. A quibus ut secessum facerent alii, maxima ueteris disciplinæ parte abjecta, noua condidere oratoriæ artis præcepta; facilia quidem & puerulis apta, jejuna tamen sæpe, aut certe minus certa. Historiæ in modum recensere non confirmare hæc consueuerunt: ita ut tota ars, ut aliæ plurimæ, in præceptorum leuium collectione arbitraria consisteret. Philosophis & illa austeram disciplinam, & hæc jejuna, demum displicuit: reuocare utramque ad solidiora principia susceperunt: inque libellis logicis, cum de cogitationum expressione, quam dicunt, agendum erat, nouam formare oratoriam uarii ex illis tentarunt. Ast stilum grammaticum & logicum cum oratorio communtantes, atque principia logicæ cum principiis oratoriæ artis, ipsam hujus eruditam & philosophicam doctrinam amiserunt, aut obscurarunt: de quo in *dissertatione de emendatione eloquentiæ moderna, & in programme & oratione inaugurali*, Lipsiæ olim scriptis aut habitis, copiose exposuimus. (v. G. P. Mulleri *Ideam Eloqui. Nou-antiquæ, cui hæc præmissa sunt.*) Quo uero hæc omnia liquidiora reddantur; artemque & scientiam uere philosophicam, & ex certis principiis certis rationibus efficiendam, oratoriam nostram esse clarius constet; *de principiis eam demonstrandi philosophicis* descripte agam, sed sine ambagibus: ueritas enim liquida animum optime ferit, cum
nuda

nuda & sola est, nec compta nec illecebrarum stipata choro. Non tantum qua doctrina imbuantur nostrates in gymnasio iuvenes exin perspicuum erit: sed simul origines quasi hujus *de pulchritudine orationis* non deformis dissertationis manifestabuntur, quam conscriptam à se nobis obtulit *pereximius & nobilissimus iuuenis*, qui post egregie exactum gymnasii nostri cursum academiae doctrinis jure suo asseritur. Ita uero se habent oratoriae artis propria & certa principia. I) Detur nobis, quod ni sensum tollas non potest non dari, animos hominum ita esse comparatos, ut *multas ueritates non subtili & perfecta animi conuictione, sed quacunque persuasione, assumant*: siue quod fieri nequeat, ut de omnibus ueritatibus certo conuinci homines possint; siue quod in uita ciuili raro tempus & occasio suppetat, rite alios conuincendi; siue quod nolint ingrata conuictione re-dargui atque adigi ad ueritates; siue quod non omnium hominum animus seriem conuincendi subtilem & abstractam capiat. Persuadentur itaque homines oratione, uti conuincuntur: imo saepius persuadentur. II.) Detur porro conuictionem referri ad essentiam intellectus, uel ad intelligentiae principia abstracta, aeternasque ueritates: *persuasionem ad indolem totius animi humani*, quae necessaria non est, sed ex temperamentorum & consuetudinum rationibus nascitur. Si negas, cogita exemplum persuasionis: ut si iuueni persuadere uelles, quo Zittauiae malit, quam Uratislauiae, studia tractare. Persuademus itaque accommodatione ueritatum ad indolem eorum, quibus aliquid persuademus. III) *Artem hominibus ueritates oratione persuadendi oratoriam*

riam dicimus. Finis itaque persuasio est, ex sensu patens, & ex cognitione uulgari: sed per artem, cognitionemque eruditam, quærimus media, uel persuadendi oratione instrumenta: quærimus pariter causas hujus artis persuadendi proprias. *Objecta* oratoriæ arti *res* sunt ueritates in utramque partem disputabiles: *homines*, ad quos dicimus, sunt qui indolem suam uel maxime sequuntur. *p. n. I. medium* commune & uniuersale est oratio indoli accommodata. *p. n. II.* IV) *Objecta res* dicitur *thema* oratorium: simulque patet principium mediolorum: *quicquid thema, oratione exhibendum, inflectit ad indolem auditorum uel lectorum, illud est medium oratorium, quod argumentum* dicimus. V) *Indoles* uel est intellectus: unde oriuntur *argumenta explicantia & confirmantia*; uel est uoluntatis: unde *argumenta mouentia & conciliantia*; uel est imaginationis: unde *argumenta illustrantia & exaggerantia*. VI) Oratio uel scribitur tantum, uel solenni ritu habetur: illa constat inuentione argumentorum, dispositione, elocutione; hæc actione. Quod si argumenta themati apta secundum indolem hominum eruas, *inuentio* prodit: si secundum argumentorum & thematis naturam eadem coordines, *dispositio* oritur: si demum argumenta per tropos, periodos, & figuras, inducas stilo, fit *elocutio*. Omnes tropi & figuræ, periodi & stili genera, imo uirtutes omnes, sunt ex argumentis. Inde sunt tropi, figuræ ac periodi explicantes, confirmantes, mouentes & conciliantes, illustrantes, exaggerantes &c. VII) Si pronunciationem & actionem ac habitum corporis his argumentis in deductione, dispositione & elocutione, thematis ubiq; attemperas, & ita in-

do-

doli rerum & hominum; fit *actio oratoria*. Ex his liquidis principiis quaecunq; esse in oratoria arte regulæ possunt, certo nexu conficiuntur: sed jam alia quædam illustrationis loco his ipsis principiis adjicere satius erit. *De genere oratoriae artis* disceptatum fuit: sed ex his ejus principiis, quæ finibus & instrumentis seu mediis continentur, prudentiam jure dici posse certo efficitur. Si orationem uel scriptum quoduis, ea productum, opus oratoriae artis necessarium habere uelles; artem dicere eandem liceret. Ipse *Quintilianus* (*Instit. Orat. II. 18.*) oratoriam ad artes actiuas uel administratiuas, quæ actu continentur, retulit: ita tamen, ut ad effectiuas, quæ operis consummatione finem accipiunt, suo modo reduci queat. *De materia rhetorica subjecta* jam ueterum fuit contentio: (*Quint. c. l. C. 21.*) uerum omnis tollitur, si ex nostris principiis colligas, ueritatem, in utramque partem disceptandam, ejus materiam esse propriam. *Finem* recentiorum plurimi uel omittunt, uel corrumpunt: jam ex sensu patet, esse solam persuasionem; nec omitti eum in solida artis disciplina posse, cum ex fine media demonstrantur. Ex his itaque clarissimis fontibus manauit *pereximii & nobilissimi* juvenis, *Gottlob Gabriel Reichii*, de orationis pulchritudine meditatio & dissertatio: quam oblatam mihi à suo autore temperaui, & euagantem latius constrinxi: reliqua enim debentur huic politissimo juveni, eiusque in colligendo & diiudicando industria. Si quid boni & egregii in se habet, habet autem omnino, id quidem ex optimis parentibus, & gentis *Reichiae* uirtute præclara, in se quasi per traducem deriuatum gratus agnoscit. Satus enim est uiro *maxime reuerendo & amplissimo, Gabriele Iacobo Reichio*, philosophiae
ma-

magistro, & apud Neapolitanos in Misnia Pastori grauissimo: cuius in sacro munere fides summa, in optimis artibus dignitas, in uita integritas & decus, ab omnibus iure celebratur; & cuius honestissima familia inde ab anno cl^o l^oc XXXIV. ecclesiae Neapolitanae ductu & doctrina sua continua successione praefuit. Natus uero est praeclearae indolis *matre Iohanna Elisabetha*, uirtutum huius sexus uiua imagine, filia *uenerandi iam senis*, omni praekonio dignissimi, *Valentini Schultzi*, Pastoris Scandauiensis, & suae dioeceseos aetate & fide grauissimi. In disciplinam nostram traditus iuxta morum honestatem & cultum *patriae, latinae & graecae, Ebraicae, Gallicae* demum & *Toscanae*, linguae animum adhibuit alacrem atque constantem: intelligendi omnes, scribendi tres priores, loquendi demum latinam iuxta patriam, facultatem egregiam consecutus est. *Historiam, Oratoriam, Poesin*, & maximam *philosophiae* partem, animo complexus, *oratoriis & logicis exercitationibus*, orationes & dissertationes scribendo, agendo & disceptando, cum laude & plausu interfuit. Jam *theologiae*, pulcherrimae & genti suae familiari disciplinae, destinatus Vitebergam cogitat: & pulchrioris uitae studiosus *de pulchritudine orationis* diuinis auspiciis differit, *disceptatoribus* constitutis duobus pereximiiis & nobilissimis iuuenibus, *Christiano Helvvigio, Gubenâ Lusato, & Ioh. Gottlobio Gütlero, Kirschauensi Lusato*. Deprecatores ejus pro felici studiorum progressu publici erunt *eximia uirtute honestissimi iuuenes, laudis ejus cum uirtute aemuli, Ioh. Peschel, Würten-Hayn. Misn. Or. Germ. Ioh. Carolus Hartmann, Misn. Orat. Lat. Gottfr. Ernestus Müller. Ilmenau. Henneb. Or. Gr.*

Vos, Patroni, Fautores, Amici, Gymnasii ut beneuoli & frequentes adfuitis, iuuenum honestissimorum studia fauore uestro sustineatis, multum rogamus: nam & *uester honor* nostrorum hominum laudibus continetur. Tu uero, *mi clarissime Reichi*, Deum sume studiorum & uelut ducem, comitem, amplificatorem. Hic Tibi largiter benedicat: ut *ipse* nostram sustineas, impleas, perficias! P.P. Fer. Pasch. II. A. clcccxxxi.

Lit. Lat. rec. B 60, 36.